



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De apibus si hominem occiderint. lxxxvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

tiam, sed quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, priora dimittenda Dei iudicio, de reliquo maxima sollicitudine præcauendum, ne fiant.

De illis qui scabiem, aut vermiculos comedunt, vel urinam bibunt. Cap. LXXXIII.

VI comedit scabiem, aut vermiculos, qui pediculi dicuntur, vel urinam bibit, siue stercora comedit: si infantes sint, vel pueri, vapulet, si in virili ætate, viginti dies pœniteant: & utriusque cum impositione manus episcopi sanentur.

Ex pœnitentiali Bedæ.

De illis qui animalia à bestiis dilacerata, vel laqueis strangulata comedunt. Cap. LXXXV.

Animalia quæ à lupis, seu canibus lacerantur, non sunt comedenda, nec ceruus, nec capreus, si mortui inuenti fuerint, nisi fortè ab homine adhuc viua occidantur prius, sed porcis & canibus dentur. Aues verò & cætera animalia, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda: nec si accipiter oppresserit, & si sic mortua inueniuntur: quia in Actibus apostolorum præcipitur abstinere à fornicatione, à sanguine, & suffocato, & idololatria.

Ex pœnitentiali Theodori.

De apibus, si occiderint hominem. Cap. LXXXVI.

PES si occidunt hominem, ipsæ quoque occidi festinentur, mel tamen manducetur.

Ex eodè.

De porcis & gallinis, si sanguinem hominis comederint. Cap. LXXXVII.

Si porci vel gallinæ sanguinem hominis comedunt, mox occidantur, & intralia proiciantur, & cætera caro manducetur. Si autem tardatur occisio, non manducetur. Si autem cadauera lacerauerint mortuorum, macerentur, & post anni circulum comedantur. Si autem porci occiderint hominem, statim interficiantur, & sepeliantur.

Ex eodè.

De illis qui carnem immundam, vel morticinam comedunt. Cap. LXXXVIII.

VI manducat carnem immundam, aut morticinam, aut dilaceratam à bestiis, XL dies pœniteat: si enim necessitate famis contingit, multò lenius est.

Ex eodè.